



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Controversiarvm Biga.

Caraccioli, Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1619

Secundum, & postremum Argumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64242)

Secundum, & postremum Argumentum.

QUOD quidem eodem (vt verbum est) claudicat pede. Inquit enim Baronius. S. Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Franc. cap. vlt. scribit Clodoueu Regem vita migrasse Anno CXII. à Martini obitu: At ex altera parte constat Clodoueu peruenisse saltem vsque ad Ann. sal. iuxta vulg. Fastos 514. Ergo si à 514. subduxeris CXII. reliqui erunt 402. Anno igitur 402. Archadio videlicet, & Honorio Quintum Cofs. B. Martinus decessit. Antecedens quoad priorem partem iam probatum est auctoritate ipsiusmet Gregorij Turonensis: quoad alteram verò partem æquè probatur: peruenit quippè Clodoueus saltem vsque ad Hormisdæ Pontificatum, quem honorauit egregio munere aureæ, & gemmatæ coronæ, quemadmodum Anastasius Bibliothecarius, Haymonius alijque Scriptores tradunt; Hormisdas verò iniit Pontificatum Anno Christi 514. teste Damaso, siue Anastasio in Pontificali; Constat igitur Martinum non obiisse Attico, & Cæsario Cofs. anno, vel iuxta vulg. Fastos 397. vel, vt Turonensis supputat 395. Sed Archadio, & Honorio Quintum Consulibus Anno vulg. 402. quia illorum Consulatus distat à morte Clodouei Annis 117. horum autem 112. totidem scilicet, quot Gregorius Turonensis præscribit.

RESPONSIO.

HOC argumentum ita expedio. Falsum est, aut saltem incertum Clodoueu Regem vixisse vsque ad Annum 514. concedo quidem peruenisse vsque ad Pontificatum Hormisdæ, cui coronam auream dono misisse legitur, at Hormisdæ Pontificatum alij citiùs, alij seriùs collocant in Fastis. Nò negauerim aliquos esse Historicos, qui cum Baronio supputant, attamen plures sunt, ijque grauissimi, qui multò citiùs consignant. Enumerabo aliquot. Paulus Diaconus Hist. Miscell. lib. 15. tradit Anno à Christo Incarnato 511. hoc est à Christo nato propemodum 510. Hormisdam misisse S. Germanum Capuæ Episcopum ad Iustinum Imp. qui Anastasio successerat. Sed cum idem narret Hormisdam alios Legatos iam antea misisse, meritò asseri potest Hormisdam, iuxta Pauli Diaconi opinionem iniisse Pontificatum anno Christi vulg. 508. vel summù 509. ac proinde eodem Anno Clodoueu obiisse; nihil igitur inde præfidij suæ firmandæ supputationi sumere Baronius poterit. Annales item veteres apud Cuspinianum, & Hermannus Contractus in suo Chronico videntur Paulo Diacono ad stipulari; statuunt. n. obitum Clodouei Anno. 509. Imo Aymoinus An. 500. & ab obitu Martini 112. hoc est obiisse Martinù nò ann. Christi 402. vt Baronius censet, sed multò citiùs; Prudenter igitur siue à Gregorio ipso, siue ab alio quodam erudito Viro, adoram lib. 2. cap. 43. quo loco Gregorius narrat obitum

Clodouei